Phænomena in Cadavere prænobilis cujuſdam Fæminæ, Apoplexia *peremptæ, inter diſſecandum, Maii* 12, 1679, *à Clariſſ. Medico Dno. Dre.* Cole *Obſervata.*

IL luſtriſſima D[a], in ſæculi ornamentum & exemplum nata (utpote cujus non ſolum ſtupendæ animi dotes, ſed & eximia virtus, cunctos queis innotuiſſe contigit, in admirationem, imo & venerationem rapuerunt,) à multis retro annis *hypochondriacis* (prout vulgo dicuntur,) & *hyſtericis* laboraverat ſymptomatis; quibus aliquoties, at nuperis annis, ſupervenerat narium hæmorrhagia, eaque quandoque tam profuſa, ut de vita fere deſperandum fuerit. Ad periculum & à morbis, & ab hæmorrhagia, averruncandum, phlebotomia (neſcio ipſius Dnæ, an medicorum ſuaſu,) inter alia præſidia ſæpe in ſubſidium vocata fuerat, à qua (non ſecus ac ab hæmorrhagiis dum moderate procederent,) egregium ſæpenumero levamen, emaciatum quamvis fuit, & non morbo ſolum & jeiuniis maceratum, corpus, ſenſit. Imo licet ante menſem, plus minus, ab obitu ſpontaneam, eamque valde copioſam, hæmorrhagiam, quæ negotio non omnino nullo tandem ſiſtebatur, perpeſſa fuerat, uſque adeo tamen ab eo tempore in valetudine, paulo ante deſperata fere, recuperanda promoverat, ut ſibi perſuaſerat, ſe jam extra diſcriminis aleam, diminutis plurimum ſymptomatis, ferme conſtitiſſe. Solummodo pridie ejus diei, qui illi ſupremus erat, denuo ad hæmorrhagiam ſolitam proclivis erat, quam omni ope ſub ipſo erumpere geſtientis ſanguinis primo nixu prævenire ſatagebat, periculum, quod nuper ab immodico ejus effluxu evaſerat, iterum verita. Et quidem nimis fataliter ceſſit remediorum quæ adhibuit ſucceſſus, ſanguine non amplius prodeunte;

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

deunte; unde ſe in tuto poſitam, vel eo ipſo ante obi-tum die, Maii 10, cenſuit. Cum ex improviſo fatali illius immineret cataſtrophe. Poſtquam enim veſperi ſe intra cubile compoſuerat, ſubito immani capitis dolore correpta erat; cujus gratia (vacillare ſtatim incipiente lingua,) chirurgum extemplo advocari juſſit, qui ſanguinem detraheret. Ille autem, qui mille paſſus inde aberat, non ante appellere potuit, quam Nobiliſſima D^na. è vivis exceſſerat, quod intra ſemihoram ab inſultu contigit.

Ad cadaveris apertionem vocatus, accito in operis ſocietatem doctiſſ. D. *Tomkyns*, nil in viſceribus abdomine contentis invenire potuimus, unde vel inſignem aliquam labem iis adeſſe concluderemus, nedum mortis cauſam illic latitare. Et quidem, notatu dignum erat, quod quamvis à triginta annis jecur, ab omnibus fere Celeberr. Medicis, quos ſanitati ſuæ moderandæ admoverat (& inter cæteros famigeratiſs. D. *Mayerne*,) non modo ſumme obſtructum (quæ etiam de Liene pronuntiata fuerat ſententia,) ſed etiam ſcirrhoſum habitum fuerat; uſque adeo tamen ab omni labe immune erat, ut nulla vel minimæ obſtructionis, (licet ubicunque talem latitare ſuſpicio ingruere potuit aperuerimus,) veſtigia offendi potuerant; verum vaſa debitas ſuas diſtributiones quantum colligere potuimus, obſervabant, ſubſtantia uniformis & compacta erat, colorque univerſim, qualem naturæ modus exigit, optimus; hinc ut appareat, quam injuſte ſæpenumero criminari ſoleamus hoc viſcus. Solummodo prægrande erat, & proinde (in macilento præſertim corpore,) majorem ſolita in hypochondrio tenſionem efficiens, palpum iis facile obtrudere potuit, qui, pro ſolenni olim more, cunctorum, *hypochondriacorum* titulo inſignitorum, ſymptomatum cauſas ab Hepate & Liene obſtructis deducunt. Hoc ſaltem notavimus, quod nec in cyſti fellea, quæ plurimum contracta erat, nec in reliquis (quæ ſeſe conſpicienda obtule-

runt,) per hepar ſparſis vaſis biliaribus, quicquam bilis repertum fuerit, nec ab ea tincturam, niſi admodum dilutam, hauſerant; verum in cyſtis cavitate quatuordecim reperiebantur concretiones, quarum maxima pars magnitudine piſa æquabant, duæ vel tres paulo ampliores erant, preſſæ rotunditatis, exterius fere nigricantes, & glabræ, atque Bezoar, poſtquam paululùm aeri expoſitæ fuerant, æmulantes, primo autem intuitu pilulas aloeticas referentes, intus flaveſcentes, cum aliquali in centro cavitate, facileque friabiles.

Lien pariter ab omni labe immunis videbatur, ſed, non ſecus ac hepar, ſolito grandior.

Ventriculus vacuus (utpote quem pauculis ante mortem horis depleverat vomitionis, non infrequens toto ægritudinis decurſu, paroxyſmus; ut taceam Hon. D^am^ tantaſemper, ne Seraphicis fruitionibus poneretur obex, abſtinentia uſum fuiſſe, ut raro ipſis naturæ indigentiis, alimentorum debita ingeſta menſura, vel maxime ſana conſuleret,) non multum, vel quod ad colorem vel texturam attinet, niſi quod paulo flaccidior fuerit, culpandus videbatur.

Pancreas nulla evidentia obſtructionis indicia prodebat, ut nec meſenterii glandulæ. Omentum ſatis firmum erat.

Renes & ſabulo, & calculis, omnique obſtruente materia liberi erant, quantumvis præ doloribus, qui circa eorum regionem aliquoties invadere ſolebant, crediderat aliquando Illuſtr. D^a^, ſe calculo laboraſſe; Solum modo laxior aliquantum æquo videbatur illorum compages; quod forſan copioſæ quam perpeti ſolebat, urinæ limpidæ eos perluentis quantitati imputari mereatur.

Uterus debite conſtitutus videbatur, quamvis ex ſymptomatis, quibus antea laboraverat, haud pauca huic parti adſcribi ſoleant.

Intra

Intra thoracem obſervandum occurrebat, 1°, quod in dextro latere pulmones tam firmiter pleuræ, quatuor digitorum latitudine, adhærerent, ut niſi cultri adminiculo ægre ſeparari potuerint; 2°, quod variis in locis, præſertim hic illic circa loborum margines, tanto nigrore afficerentur, ut ad ſphacelationes proni viderentur.

Cor ſanum conſpiciebatur: quodque forſan attendi mereatur, pinguedinis ſat magna quantitas baſi ejus accrevit, quanquam reliquo corpore valde emaciata fuerit.

Aperto vero cranio tam ſubitæ cladis evidenter ſeſe obtulit cauſa. Vaſa etenim ſanguifera membranas (*tenuem* præſertim,) dextri lobi cerebri perreptantia, ſanguine admodum turgebant; iiſque ex illa cerebri regione, (qua ſe laborare ſtatim ab invaſione conqueſta eſt,) diſſciſſis, magna effluxit ſeroſi ſanguinis quantitas; quo evacuato, cerebrique ſubſtantia cultello aperta, ſeſe in conſpectum obtulit largus concreti cruoris grumus, qui ſtateræ impoſitus pependit unciam circiter cum dimidia, atque proinde largam illic ſibi neceſſario formaverat cavitatem. Aſt in ventriculos, vel alibi inter membranas nil omnino ſanguinis effuſum erat. Siniſtrum lobum quod attinet, nec ille, nec ejus vaſa ſanguine ſupra modum turgebant. De cætero, nil in propera iſthac, quam lucernarum ope adornabamus, diſſectione (nempe feſtinandum erat,) comperire potuimus, unde concludendum eſſet cerebrum, quantum oculis patuit, male affectum eſſe; tametſi ex variis ſymptomatis quibus à longo tempore obnoxia fuiſſet Nobiliſſ. D^a (utpote cordis tremore, & palpitationibus, magnis anxietatibus, muſculorum in artubus aliiſque partibus contracturis & doloribus, aliiſque pluribus convulſivis,) non levis momenti argumenta ſucci nervoſi haud parum vitiati deſumi potuerint. Unde corollarium iſthoc forſan deducere liceat; Succorum in corpore contentorum vitia non ſemper partium vel continentium vel

 ſecer

ſecernentium culpæ, ſed quandoque (ſi non plerumque,) propriæ eorum degenerationi & dyſcraſiæ imputanda eſſe. Cerebrum, cum cerebello, cranio exemptum, & ſuperfluo, qua licuit, ſanguine liberatum, pependit *lbii unc* XIIII, juxta vulgata pondera quæ apud nos in uſu ſunt, & ad manum erant, *Averdupois* dicta; id quod forſan curioſis non ingratum fuerit annotaſſe.

An Ab-